JOSEPHI PASCHALIS
CYRILLI
JURIS CIVILIS ORDINARII PROFESSORIS

ORATIO

IN REGIA NEAPOLITANA ACADEMIA

Poſtridie Nonas Novembres habita pro ſolenni Studiorum inſtauratione

VIRO AMPLISSIMO

BERNARDO TANUCIO
CAROLI BORBONII

Regis Neapolitani a Secretis dicta.

NAPOLI

Excudebat NEAPOLI ex publica auctoritate
Felix Carolus Musca anno CIↃIↃCCXXXVII.

[illegible]

Digitized by Google

VIRO AMPLISSIMO

BERNARDO TANUCIO

CAROLI BORBONII

Regis Neapolitani a ſecretis

JOSEPHUS PASCHALIS CYRILLUS

S.

QUum *multis nominibus, tum eo vel maxime* Oratio *hæc mea debetur tibi, quod ea in conſpectu tuo ſit habita,* Bernarde Ampliſſime. *Et vero quantum ei, Deus bone, adventu tuo ornamentum acceſſit! Quis futurum ſperaret, ut Vir omnium pene Regiorum Conſiliorum particeps, cui proinde ne hora quidem una publicis negotiis vacua decurrit, ad* Orationem *hanc meam aures animumque demitteret?* Ego quidem *ubi te advenientem proſpexi, abrupto Orationis curſu continuo ac diu ſubſtiti addubitans, num tu is eſſes: ac niſi tot Patricii Viri, tot Senatores, tot Profeſſores, qui in corona erant, adſurgentes tibi obſequenteſque te eum eſſe taciti monuiſſent, diutius hæſiſſem animo. Ego de beneficio iſthoc tuo gratias tibi ago maximas, atque habeo, eumque ipſam Orationem, quam pro benignitate tua bona cum venia exaudiſti, grati animi teſtimonium, quale poſſum hoc tempore, tibi venerabundus inſcribo. Vale.*

D.II.J.

Dominus Canonicus Jorio revideat, & referat. Neap. 14. Novembris 1737.

CARMINUS CIOFFI EPISC. ANTINOP. VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Gyptius Can. Dep.

EMINENTISSIME DOMINE.

JOſephi Paſchalis Cyrilli Viri Clariſſimi, & in Regia Neapolitana Academia Juris Romani Profeſſoris Ordinarii Orationem pro ſolenni Studiorum inſtauratione habitam ſedulo legi, & non modo nihil in ea, quod Catholicam Religionem, aut bonos mores vel minimum lædat, deprehendi; ſed & eam Tulliano ævo prope dignam reperi: tantus eſt in verbis delectus, tanta in rebus ſapientia. Quare eam publico rei literariæ bono edendam cenſeo, ſi Eminentiæ tuæ juſſus acceſſerit.

Addictiſs., atque Humill. Famulus

Franciſcus Can. Jorio.

Attenta ſupradicta Relatione, Imprimatur.

Neap. 2. Decembris 1737.

CARMINUS CIOFFI EPISC. ANTINOP. VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Gyptius Can. Dep.

D. U. J. D. D. Joannes Baptiſta de Vico Profeſſor in Univerſitate Regii Studii videat, recognoſcat, & in ſcriptis referat.

D. ARCHIEPISCUS PANORM. C. M.

REX CELSISSIME.

TUo imperio Orationem de Literarum Studiis auſpicandis a Joſepho Cyrillo tuo Juris Anteceſſore doctiſſimo habitam legi: nec in ea quicquam, quod Tuam Regni Majeſtatem minuat, aut bonos mores corrumpat, notavi: quin dignam hac Tua Italiæ inclyta Academia, ac proinde Te dignam, ſi Regia, qua præſtas, animi magnitudine Te dignam feceris, cenſeo, autorque ſum, ut literarjs formis mandetur. Datum Neapoli v. Idus Novembris, Anno cIↃIↃccxxxvII.

Tui, Rex Potentiſſime,

Obſequentiſſimus Cliens

Johannes Baptiſta Vicus, Latinæ Eloquentiæ Profeſſor, & Hiſtoricus Regius.

Die 18. menſis Novembr. 1737. Neap. Viſo reſcripto S. R. M. ſub die 15. currentis menſis, ac relatione facta per U. J. D. Jo: Baptiſtam Vicum de commiſſione Rev. Reg. Cap. Maj. D. Archiepiſc. Panormitani, Regalis Cameræ S. Claræ providet, decernit, atque mandat, quod Imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, & approbationis d. Reviſoris. Verum in publicat. ſervetur R. Prag. Hoc ſuum.

ROCCA. MAGGIOCCO. VENTURA. DANZA.

Maſtellonus.

Quum ſapientiſſimi Regis noſtri conſilia eo ſpectent omnia , ut Civitati huic univerſæ quam optime proſpectum velit; quod is vel in ipſo bellorum motu nobis , qui publico aucti ſtipendio liberales artes profitemur , ſuis ad Cæleſtinum Galianum literis ſpem pulcherrimam injecit , fore nos aliquando fortunæ ac dignitatis acceſſione meliores ; quodque ædes haſce ampliſſimas longo ſitu & ſqualore obductas nitori priſtino reddidit , atque ad communem ſcholarum uſum reſtituit ; eſt id argumento plane maximo , ingenuas facultates ad gerendam bene Remp. plurimum habere utilitatis . Egregium hoc factum Principis quo eſt illuſtrius , eo majores mihi animos addit , ut ſolenni hoc recurrente die rudes illos atque agreſtes homines acri oratione exurgendos aggrediar , qui, quum toti ſint aut in re familiari amplificanda , aut ea per luxum & nequitiam diſperdenda, bonis literis iraſcuntur, noſque earum cultores tanquam in Rep.otioſos derident , ac parum abeſt , quin labem ac perniciem Civitatis appellent . Neque ego hoſtem finxi, quem ferirem : habet inſana iſthæc capita omnium ſeculorum memoria , & noſtra hæc ætas habet . Itane vero impudentiſſimi homines dignitatem noſtram arrodent ? Nos in Rep. otioſos ? At ita me Deus amet , abſurdiſſimam iſtam opinionem , ne latius manet, quantum ingenio conniti potero , quantum voce contendere, vobis arbitris , Auditores , convellam, notamque turpiſſimam honeſtiſſimo literatorum nomini adſperſam detergebo . Sic igitur habete , nullam

 ſine

ſine literis diu ac tuto ſtare poſſe Remp. Hæc me, quantum facultas mea feret, Philoſophico dicendi genere differentem iis animis atque auribus attendite, quibus in re maxima uti conſueviſtis. Noſtra res agitur, Profeſſores: veſtra quoque, Senatores; & vero etiam veſtra, Adoleſcentes.

Age vero quantum habet Reſpublica a literis adjumenti? Civitatem novam animo fingamus, Auditores, eamque ſic inſtituendam ſuſcipiamus, ut ad bene beateque vivendum nihil eſſe reliquum videatur. Ferendæ primum ſunt leges, non enim ulla ſine certo jure ſocietas conſiſtit. At quales leges? Nempe utiles, & honeſtæ. Quis eſt autem, qui ſe utiles, atque honeſtas leges laturum ſperet, niſi is Philoſophorum libros adierit, quibus de utili, & honeſto in utramque partem diſputatur? Jam leges nemo utiles dixerit, niſi probentur in vulgus, nec niſi ad ejus ingenium factæ probabuntur. Quoniam vero diverſa ſunt gentium ſtudia, neque enim omnibus idem natura ingenium finxit, neque eadem omnes diſciplina conformavit, quis non videt, eaſdem certe leges facile pati omnes non poſſe? Aſiana ingenia ad ſervitium educta tyrannos ferunt: at Romani ad libertatem inſtituti, ſi quando premi ſe ſentiant, urbanos motus cient, in arma ruunt, intendunt faces, extrema omnia minantur. Præterea quum variæ ſint Rerump. formæ, neque una omnium ſit ratio, quis non intelligit, iiſdem legibus contineri omnes non poſſe? Dum Romana ſtabat libertas, dominis, ac patribus datum familiis ſuis cum imperio præeſſe, eratque illis impune in ſervorum, ac liberorum corpora ad necem deſævire: ſubſtitit tamen illa effuſa ſæviendi licentia, quum omnis in unum poteſtas conceſſit: nempe

aliud

alind popularis Reſp. , aliud Monarchia expoſcebat: Cognoſcendum eſt igitur ingenium populi , & forma Civitatis: verum ea noſſe Philoſophi eſt , ſuntque ea ex Platone, Ariſtotele, Polibio, Cicerone, ac Tacito repetenda. Philoſophia igitur publica regat conſilia,eique comes addatur Hiſtoria, quæ origines, incrementa, ſtatus, converſiones, interitus, & arcana omnia Rerump. fata retegat, exemplisque luculentiſſimis præluceat in futurum.Ita Auguſtum ferunt(*a*), quod ſibi tempus ab imperio daretur, id in librorum lectione collocaſſe,& ne illud quidem tempus publica utilitate vacuũ dilaberetur , ſectari eum conſueviſſe præcepta,& exempla, quæ facere ad Rempublicam viderentur, eaque ad verbum deſcripta mittere ad urbanos Magiſtratus , & ad Præſides Provinciarum,& ad ipſos bellorum duces,ſicque illos admonere,quid eſſet eis in otio,&.pace,quidve in expeditione , & in caſtris agendum. Sed quo maneant homines in officio , non ſatis videtur eſſe pœnarum metus , aut ſpes præmiorum , quæ duo ſolent leges munire , niſi mentes ratio ſubeat , cujus tacito teſtimonio admoneantur, quamque maleſactorum teſtem ſentiant, ac vindicem ; multi enim , quod experimento compertum eſt , ita animum abjiciunt ſuum , ut vitam malint per luxum ac deſidiam tranſigere , quam labore ac virtute ad honeſta præmia contendere , multi vero , quod aut gratia , aut opibus valeant , ſe ſe pœnas eluſuros confidunt . Quod ſi ſemel ratio mentem ad juſtitiam componat , difficile eſt arcanam conſcientiæ vim excutere . Animos autem format Ethica , præcipua illa Philoſophiæ pars , quæ ad vitæ ornatum , ac diſciplinam per-

(a) *Suet. in Aug.*

pertinet, quamque vitiorum expultricem antiqui Sapientes dixere. Eam artem cives arripiant, ea imbuantur, ſicque in animum inducant ſuum, potiſſimam humanæ felicitatis partem in virtute poſitam: nihil bonum, nihil utile, nihil pulcrum, jucundum nihil, quod non honeſtum: licere nemini per eblandita ſuffragia ſubrepere ad honores, ſed tum demum accedere virum bonum ad Rempublicam debere, quum id ex uſu publico futurum proſpexerit: ſapientis eſſe nec ſecundis rebus efferri, & inſoleſcere, neque adverſis abjici & concidere: crimen eſſe alterius commoda intervertere, facinus in alienas fortunas invadere, ſcelus ſævire in hominem, nefas in Principem, aut Patriam conſpirare: præclarum eſſe pro Rege, & pro Patria res ſuas omnes, & vitam in periculum adducere, & ſexcenta id genus alia, quæ ſi deſint, & familias, prima Rerumpublicarum rudimenta, & Civitates, & Regna, & Imperia inclinare ac labi neceſſe eſt: tantum habet moralis Philoſophia in Republica momentum; ut nec ſatis commendem veteres Græciæ Philoſophos, qui, quum ita ſtudiorum rationem inſtituiſſent, ut Reipublicæ commodis inſervirent, eam Philoſophiæ partem, quæ tota poſita eſt in natura, leviter ut plurimum attigere, ejus partis quam ſtudioſiſſimi, quæ hominum officia perſequitur; nec ſatis demirer ætatis noſtræ adoleſcentes, qui ſummo Reipublicæ malo honeſtiſſima hæc ſtudia faſtidiunt. Nec parum ad animorum cultum conducit Metaphyſica, mens enim naturæ vitio ad malum prona, ac ſolo ſenſu percipere adſueta, ſenſu ipſo ita abripitur, ut Divinam pene oblita originem in rebus caducis & fluxis obfirmata conſiſtat: quo quid magis exitioſum dici, aut fingi unquam poteſt? At Metaphyſicam ſequuta ducem Divinam vim ſuam exerit, ac ſu-

pra

ſpra mortalem naturam adſurgens ſe ipſam, ac Deum, & puriſſimas illas mentes Dei comites, atque adminiſtras contemplatur, ſicque a terrenis abducta terrena deſpicere conſueſcit. Inſtructis ita ad honeſtatem animis, eſt de civium corporibus laborandum; quoniam enim ita nos finxit naturæ auctor Deus, ut mente conſtemus, & corpore, vix eſt, ut appoſiti eſſe ad tuendam ſocietatem poſſimus, niſi mente ſatis & corpore valeamus. Quis eſt autem, qui non ſit vel alieno, vel ſuo etiam ipſius periculo expertus, quam ſæpe, & quam graviter ægrotemus? At præſto eſt ſaluberrima illa ars Medicina, quæ in morbos, & medicamenta, abditaſque eorum cauſſas inquirens valetudinem aut ſervat integram, aut reſtituit laborantem. Accedat huc Phyſica eo vel nomine in Civitate retinenda, quod Medicinæ tanquam fundamentum ſubſternatur, ejuſque emolumenta plane faciat meliora. Sed & illud ex ea commodi in Rempublicam redundat, quod præjudicatas vulgi opiniones, unde publicus quandoque metus ac perturbatio, ex naturæ principiis diſpellat. Romæ ſupplicationes publice decerni ſolitæ, ſive quod lapidibus plueret, ſive quod ſol plus nimio ruberet, ſive quod tenebræ ſubito oborirentur, ſive quod luna deficeret; nec viri modo, ſed & ipſæ mulieres ad Deorum Templa edicto evocatæ cæleſtes iras a ſe, liberiſque ſuis, ac Romano Populo univerſo deprecaturæ (*b*), perque id tempus a maximis Reipublicæ curis ceſſatum (*c*). Quod ſi vero quis naturam bene doctus trepidanti populo demonſtraſſet, nihil in iis eſſe ab irato Numine reformidandum, ſed omnia ex certo naturalium cauſſarum concurſu fieri, pla-

(b) *Liv. x. 23. xxxviii. 36. xv. 5.*
(c) *Cæl. Cic. Fam. viii. 11.*

plane nihil fuiſſet cauſsæ, cur imperiti cives paverent, dieſque perpetuos publicis negotiis ſubterfurarentur. Ita Athenas defectione ſolis tanquam ominoſo portento ſolicitas, ſibique a Diis interitum metuentes, Phyſicæ bene ſciens Pericles vana religione exſoluit (d). Ita Romani, Paulo bellum adverſus Regem Perſengerente, fracti animis, quod Tuna repente viſa langueſcere triſte aliquid portendere videretur, Sulpicii Galli ſapientis viri oratione confirmati excuſſo metu concurrunt, hoſtemque perfringunt, ſicque immortalem illam Paulianam victoriam Galli peperit Philoſophia (e). Hucuſque literæ animorum, corporumque vitiis conſuluere. Sed quam multa alia ad uſum vitæ ſunt opus? agros colere, tempus, & loca internoſcere, ædificia extruere, ad exteras gentes commerciorum cauſſà terra marique commeare, urbem contra hoſtilem impetum tueri, in hoſtem perrumpere, noſtra per injuriam occupata ferro vindicare, &, quod non eſt in optima Civitate prætereundum, editis publice ſpectaculis labores hominum conſolari. At hæc omnia maximam partem a literis petuntur. Aſtronomia ex Cælorum converſionibus, varioque ſiderum motu navigationum curſus dirigit, agriculturam adjuvat, metitur tempora, feſtos dies, omnemque definit Kalendarum rationem, quæ tamdiu majores noſtros exercuit. Geographia loca, & Imperia ſuis quæque finibus concludit. Architectura ædificandi ſcientiam præſtat. Arithmetica mercaturam facit expeditiorem. Geometria arces munit, & expugnat, eaque arte Archimedes Marcellum Syracuſas obſidentem per triennium eluſit. Poetica in ſcenis efficta vel Principum virorum, vel

(d) *Val. Max.* VIII. II. (e) *Val. Max. ibid.*

vel mediæ,& imæ fortunæ hominum vita animos civium diurnis curis defatigatos reficit, recreatque. Muſica vocem dulci modulatione conformans mira ſuavitate ſenſus perfundit. Quoniam vero huc mea evaſit oratio, facere non poſſum, Auditores, quin corruptos temporum noſtrorum mores accuſem. Principio Vatum erat Deos, & Heroes canere, de vita ac moribus philoſophari, reſque ab ipſa natura involutas inquirere, & explicare, unde & Theologi, & Sapientes dicti. At plerique fato neſcio quo in deteriora ſemper prolapſi eo tandem venere, ut niſi ludicra,aut amatoria, aut etiam fœda ſibi concinenda proponerent, haud ſe Poetarum nomine dignos exiſtimarent. Muſici quoque olim Phrygio cantu milites urgebant in prælia: Dorio libidinis æſtum reſtinguebant: Lydio exacuebant mentes, atque ab humanis avocabant ad Deos: Æolio demum perverſo motu jactatum animum ſuaviter pertentabant, quouſque motus ille perverſus reſideret. Sunt hæc, ne quis forte putet,me aut ficta,aut vana obtrudere, veterum monumentis teſtata. Phrygio cantu Timotheus Alexandri Regis convivio adſidentis animum ita inflammavit,ut tandem is proſilierit ad arma: tum Æolio ad convivium revocavit. Sic ebrium, & furentem juvenem Pythagoras, phreneticos Aſclepiades Medicus, limphaticos Xenocrates muſica arte ſanitati reſtituerunt *(f)*. At noſtro hoc ævo Muſica aliquem licet levem in præliis uſum habet: ut plurimum vero eſt ad ſolam jucunditatem comparata. Et quamvis non parum jucunditate hac ſola in publicum conducat, quod vix beata hominum vita judicio ſapien-

(f) *V. Ant. Majorag. Orat.* XXIII.

tum videatur, quæ jucunditatem non habeat admixtam, (g) eſt tamen illud jure pertimeſcendum, ne plus nimio mollis temporum noſtrorum Muſica civium mores corrumpat potius, quam formet, ſicque in magnum Reipublicæ malum evadat. Et utilem certe operam præſtarent Mathematici, quos noſtra hæc Academia habet doctiſſimos, ſi muſicas veterum rationes revocarent. Me interea adverſam vicem Poeticæ, ac Muſicæ indolentem ſolatur illud, quod ceterarum graviorum artium commoda ſunt noſtra hac ætate uberiora. Nam & multa veterum vitia longo uſu retecta, & novis inventis inſtructæ artes. Geometrica Methodus in Phyſicam: Mechanica in Medicinam invecta. Microſcopio Anatome: Aſtronomia teleſcopio: nautica acu navigationes adjutæ. Mechanica novis machinis, Phyſica experimentis, Bellica inſtrumentis adauctæ. Sed quid ego duas ingenuarum artium facile principes præterii, Dialecticam, & Eloquentiam? Hæ per omnes vagantur, neque ulla eſt ars, quæ ſine iis dignitatem ſuam retinere poſſit, ac nomen. Et vero quis eſt, qui aut Philoſophiam, aut Juriſprudentiam, aut Matheſin, aut Medicinam probe tenere ſe dicat, niſi is mentem Dialectica ſic habeat inſtructam, ut verum a falſo dijudicet, ſophiſtarumque cavillationes devitet? Eloquentia vero ceteris diſciplinis lumen addit, ac pondus. Et ſane, ubi nullus eſt in verbis nitor, nulla in ſententiis dignitas, quam ſordent omnia! Quam parum ad permovendos animos valent! Quod ſi Eloquentia in aures, animoſque ſuaviter influens primum homines in agris more ferarum vagantes a fœdo concubitu ad auſpicata connubia, a ferino errore ad cer-

(g) *Ariſt. Moral. Eudem.* 1. 1.

certas ſedes,ab immani arbitrio ad commune fœdus,ab agreſti vita ad civilem cultum traduxit (*h*),quanti eam conſtitutis civitatibus futuram putemus? Ea populos fecit Magiſtratibus obſequentes, ſuaſit leges, inteſtinas turbas & externos motus coercuit, gentesque,& Imperia aut a ſervitute turpiſſima, aut ab effera vaſtitate vindicavit. Teſtis eſt Græcorum ac Romanorum hiſtoria. Lacedæmones a Meſſeniis jam tertio fuſi, jamque eo adducti, ut ſpes prope nulla eſſe reliqua videretur, Tirtæi Athenienſis Poetæ eloquentia erecti continuo ſe ſe colligunt in arma, in caſtra alacres ingruunt, feroces irrumpunt, hoſtem profligant. Bruti eloquentia exacti urbe Tarquinii, & Patria in libertatem aſſerta. Iratam Patribus plebem,armaque ferociſſima conſpiratione intendentem Menenius Agrippa eloquenti apologo ad mitiora conſilia deflexit. Philippus, Catilina, Antonius tyrannidem Patriæ affectantes Demoſthenis, ac Tullii eloquentia percuſſi. Quid ego plura, Auditores? Vox, latus, ac dies me deficerent omnia liberalium facultatum commoda perſequentem.Satis oſtendunt ea, quæ hucuſque ſunt leviter decurſa, quam bene omnes ad publicam utilitatem conſpirent,& quam difficile ſit, earum præſidio deſtitutam diu, ac tuto ſtare Remp. Nunc quid ajunt barbari homines bonarum artium oſores? Quid obloquuntur? Romani, gens omnium ſolertiſſima Medicos, Rhetores, Philoſophos tanquam Reip. peſtes ex Imperii finibus proturbarunt. Ergo exemplis hanc totam tranſigi cauſſam volunt? Accipio conditionem. Quis eſt autem,quem fugiat, bene moratos Principes, & politiſſimas quaſque gentes nihil

 fer-

(h) *Cic. de Inv.* 1. 2.

ferme potius habuiſſe, quam ut præclare cum literis, literatiſque viris in Civitate ageretur? Florentiſſima omnium poſt homines natos Imperia fuere duo, Græcum,& Romanum;atque eadem hæc duo ingenii gloria, & ſtudiis doctrinarum facile omnibus præſtiterunt. In utroque Imperio g rendæ Reip. admoti non qui gratia aut opibus, ſed qui vi mentis & conſilii præire ceteris viderentur. In utroque ſapientiſſimi viri e med ia Philoſophia arrepti aut conceſſerunt in caſtra, aut publicas legationes obiere (*i*). In Græcia Licæum, & Academia, Romæ Theatra, & Templa, Baſilicæ, & Curia literariis diſputationibus adprobante Senatu, ac Populo perſonabant (*l*). Romani Cæſares (ſi Licinium, teterrimum illud in Romano Imperio nomen, & alios oppido paucos excipias, qui alieno a literis animo fuere) maximam Reip. partem in literis poſitam exiſtimarunt. Faciles ad Auguſtum literato cuique patebant aditus: ei nihil acceptum magis, quam cum iis verſari, qui & carmina, & hiſtorias, & orationes, & dialogos afferrent (*m*),nec fecere unquam graviſſima, quibus pro munere ſuo diſtinebatur, negotia, quin vacuas eis aures atque animum præberet: is nullum eis deeſſe commodum, nullum deeſſe ornamentum patiebatur. Veſpaſianus Latinos,Græcoſque Rhetores undique Romam accitos annuis centenis conduxit (*n*). Antoninus Pius per omnes Provincias Rhetores, ac Philoſo-

(i) *V. Alberic. Gentil.de Legation.*III.10.
(l) *Pancirol.*VII.*Deſcript.Urb.Rom.theſ. antiq. Rom. Grævii tom. 7. p.* 334.
(m) *Suet. in Aug.*
(n) *Suet. in Veſp.*

ſophos tot ſtipendiis adauctos conſtituit(*o*),ut unus Eumenius Rhetor ſexcena numũ millia accepiſſe perhibeatur (*p*). Theodoſio Secundo Imperium obtinente omnium artium Profeſſores publico ære coemti Romanam juventutem in Capitolio edocebant, Oratores tres, Grãmatici decem, Sophiſtæ quinque,Philoſophus unus, Juriſconſulti duo (*q*). Sed quid ego tam multis? quaſi vero quiſquam ignoret, potiſſimam in Romano Imperio fuiſſe vim literarum. Venere quidem ea tempora, quæ horret animus meminiſſe, quum oppreſſa impetu barbarorum Italia elegantiſſima quæque bonarum artium monumenta conflagrarunt, & ſi qua forte aut ferrum evadere,aut flammas potuere, deſuetudine ipſa interciderunt; ſicque Græca omnis, & Latina ſapientia in ſumma rerum perturbatione, ac Romani Imperii vaſtitate conticuit: at primum Carolus Magnus, tum longo poſt tempore Fridericus optima ſtudia jam pene intermortua excitarunt. Et quamquam literæ, quas dicunt humaniores, ſeptincentos jam antè annos ab Italia ejectæ in Græciam profugiſſent, ac ſtaret adhuc turbata illa, & perverſa differendi ratio ex Arabum ducta temporibus, & ſcholæ paſſim barbaris diſputationibus perſtreperent, tandem vero Galeacii Vicecomitis, & Coſmi Medices beneficio politior omnis

(o) *Capitolin. in Antonin. c.* 11.

(p) *Eumenius Orat. pro reſtaur. Schol. c.* 11., *ubi* ſexcenis millibus *legendum eſt*, *non* ſexagenis, *quod mavult Caſaubonus in Suet. Oth. c.* 4. *V. Gronov. de pec. vet. lib.* IV. *c.* 2., *&* *Cellar. obſerv. ad Eumen. Orat.*

(q) *V. Walchium Diatrib. de var. mod. literas colendi apud vet. Rom.* §.3.

mnis literatura in Italiam remigravit. Illi enim Viri Principes Trapezuntium, Gazam, & alios Græce ſapientiſſimos, qui, barbarie ſe ſe in Græciam effundente, ſolum vertere coacti in Italiam venerant, pro benignitate ſua, & munificentia peregrinos exceperunt, obſcuros eduxerunt in lucem, egenos magnis ſtipendiis locupletarunt: tum eorum opera uſi Græcos, ac Latinos libros maximo ſumtu, ac prope Regio compararunt, ſicque Græcus, ac Latinus ſermo, qui in fœda barbarorum colluvie inhorruerat, priſtinæ dignitati eſt reſtitutus. Hæc mihi ad finem properanti locupletiſſima occurrunt exempla. Nunc adeſte huc quicumque nos, & literas noſtras ridetis. Quæ malum vos cepit inſania? Num videtis, quanta ſemper fuerit apud optimos Principes cura literarum? Nos in Civitate otioſos! Tantumne ab re publica otii illis, ut quæ nihil pertinerent ad eam, tantopere curarent? Egregiam vero laudem! de otioſis hominibus tanto ſtudio laborare. Jam quid iſtud fuit, quam in maximis Reip. negotiis turpiter otiari? Quod ſi nihil eſt in laudatiſſimis Principibus reprehendendum, quid mihi Medicos, Rhetores, Philoſophos Roma exactos opponitis? Do ego id vobis, fuiſse Medicos Roma pulſos; at ſi id unquam factum, eo factum ajo, quia quum Romæ facere medicinam cœpiſſent Græci, quorum fides jam in proverbium ceſſerat, rem periculi plenam duxerunt Romani ſalutem civium peregrinis, nec certis hominibus committere: at retinuere ſemper artem, qua morbos depellerent, eaque uſu potius, quam præceptis ex Philoſophia repetitis conſtabat (r). Atque ea-

(r) *Michaelem Baldit in ſpecul. Sacromedic. append. alter. p.75. edit. Lugdun.*

eadem hæc opinio, quam Romani de Græcis imbiberant, cauſſam dediſſe videtur Senatuſconſulto (*s*), quo Græci Rhetores, ac Philoſophi projecti ſunt, ne peregrinis moribus in urbem inlatis patrii mores corrumperentur. Et res eo tandem devenit, ut ipſis etiam artibus odio Profeſſorum in invidiam adductis Cato ille Cenſorius bonum eſſe dixerit Græcas literas inſpicere, non perdiſcere (*t*), & M. Cicero Tullii Oratoris parens, ut quiſque optime Græce ſciret, ita eſſe nequiſſimum pronunciarit (*u*). At barbaræ gentes Aſiæ, Africæque potitæ nullo literarum cultu florent. Nimirum florent! Eas propius inſpicite, quidque ſit de illis ſentiendum, videte. Eas tranſverſas agunt ira præceps, ſolicitus timor, ferox invidentia, libido mala: hinc tam facile in ſeditiones, ac tumultus ruunt. Verbo dicam, ſed momentoſo verbo, In Aſia paſſim, & Africa ſocietatis vinculum utilitas, & metus. Heu quam fœda Reip. facies! Quid ea eſt per veſtram fidem, Auditores, niſi Hobbeſiana illa ſocietas hominum, qui utilitate, ac metu manent in fide, in omne ſcelus, quum ſe ſe dederit occaſio, erupturi? At ſtant adhuc gentes illæ in ſocietate literarum imperitæ, & valent armis. Ita vero; ſed jam illæ capiunt bonarũ artium commoda ab Europæis illuc advecta; quoniam autem artes ipſas ignorant, ſi Europæi Principes ob peculiares Imperii quiſq; ſui rationes alio abſtracti ſancito fœdere arma illis inferrent, certe illæ ſuſtinere impetum eorum non poſſent. Spartani quoque literarum omnino rudes

non

(s) *Intellige Senatuſconſultum Fannianum. V. Svet. de Clar. Rhet.* 1., *& Gell.* xv. 11.

(t) *Plin. lib.* XIX. *c.* 1.

(u) *Cic. de Orat. lib.* 1. *c.* 66.

Digitized by Google

non ſemel de Athenienſibus victoriam retulere : at demum eos ingenti clade afflictos ad Athenienſes defeciſſe accepimus, idque experti didicimus, qui firmitate corporis, aut numero vincunt, eos procedente tempore ſolertia, & ingenio debellari. Prodeant nunc, ſi qui hic latent, optimis ſtudiis iniqui homines, prodeant in conſpectum veſtrum, Profeſſores optimi, ſapientiſſimi Senatores, bonæ ſpei Adoleſcentes. Illi, ſi quid habent, reponant. Videor ego eos audire obmurmurantes adhuc, obſtrepenteſque orationi meæ. Sed quis tam ſtolide feroces homines compeſcat? Te ego, Carole, appello. Jamne vides, quanta ſit hominum audacia? Iſti, quod eos deſpectos habeant, quos tu in patrocinium, atque adeo in fidem tuam ſuſcepiſti, factum tuum per ſummum ſcelus accuſant. Iſti, quod literas e Rep. ejici velint, Reip. fundamenta convellunt. Num tot ampliſſimi Patres, quos ſola virtus ad Senatorios gradus evexit, tot graviſſimi Profeſſores, quos ſola tibi ſapientia probavit, tot boni Adoleſcentes, qui aut maria, aut longas emenſi vias ad hanc urbem Imperii principem ſtudio literarum venere, de dignitate ſibi detrahi quidquam per eos te Rege patientur? Ego te per dexteram illam, per Regiam fortunam tuam, per Divinum illud Magni Ludovici ingenium, quod in te jam ſuboriri præſentio, perque immortale nomen ejus æque bellica virtute partum, ac patrocinio literarum, id oro, obteſtorque, Barbaros iſtos homines, quod bonum, fauſtum, felixque ſit tibi, ac bonis omnibus, ex Imperio tuo expelle, projice, extermina, & ſtudioſos ſcientiarum adoleſcentes pro more tuo ſuaviſſimo, ac Borboniæ Gentis indole complectere, fove, tutare. In Majorum tuorum, ac Philippi Patris tui gloriam intuere, teque ſic ad eorum
exem-

exempla compone ; ut, quemadmodum illi nunquam literis defuerunt, ita tu ſemper adſis. Nihil tam Regium, quam literarum tutela. Literæ privatas res civium curant, publicis conſiliis præſunt, jura ſanctiſſima ſocietatum tuentur, ſuntque ornamenta, ac præſidia pacis, & inſtrumenta bellorum. Vos nunc mea compellat oratio, Adoleſcentes. Jam videtis, quanta ſpes in optimis ſtudiis ſit poſita. Vos, quoniam ad ea exardetis, ea dirigite non ad privatum commodum, non ad inanem oſtentationem, non ad ipſam ſe ſe paſcentis animi jucunditatem (qui enim hos ſibi fines proponunt, Reip. aut inutiles ſunt, aut noxii) ſed ad communem ſocialis vitæ utilitatem, atque adeo ad humani generis felicitatem. Ita fiet, ut & Principis patrocinium promereri, & Reip. præſidio eſſe valeatis. At procul a vobis iners otium, quod omnem ætatis, atque ingenii florem depaſcitur: procul mollis voluptas, quæ ſi animo illabatur, præclaros ad laudem impetus, & omnes induſtriæ nervos infringit. Video ego, vos ardere animis, & vobis ego, & Reip. gratulor: at illud me non mediocriter commovet, quod fieri quotannis videmus, ſub initium ſcholæ omnes toto pectore in literas incumbere, paucos vero diu propoſitum urgere. Quæ omnia poſſunt ad optima ſtudia adhortari, ea, mihi credite, abunde ſuppetunt hoc tempore. Adhortatur Carolus Borbonius, qualis Princeps, Deus bone! nempe is, qui, quum teterrimum bellum tres ab hinc annos ingrueret, non id modo cavit, ne quid literaria Reſp. detrimenti pateretur, ſed & omnes liberalium facultatum cultores in ſpem præmiorum erexit, &, quo maxime tempore formidoloſiſſimi belli tempeſtas detonuit, ingenia excitavit, ac fovit, ſicque non ſolum arma, ut erat ratio temporis, ſed etiam li-

Digitized by Google

teras ſibi ſubſidio comparavit. Quod ſi is alieno tempore tanto ſtudio curavit, ne quid de noſtra dignitate decederet, quam bene de nobis ſperare debemus hoc tempore, quo bella omnia terra marique conquieſcunt. Adhortantur Senatores, qui, quod literis præſtarent, in tantam lucem evaſere: adhortantur Profeſſores, qui omnem vobis operam pollicentur, ac deferunt: adhortantur parentes, propinqui, boni omnes, Patria ipſa adhortatur. Videte, num liceat vobis ſub Carolo Borbonio otiari: videte, quam turpe ſit, dum alii pro vobis excubant, vos longæ deſidiæ indormire: videte, quid vobis, quid Principi, quid Patriæ debeatis: videte per Deum immortalem, ne propinquorum vota, ſpem Civitatis, munificentiſſimi Regis expectationem eludatis. Hæc ſi ſerio reputaveritis, bene ſtudiis veſtris præluſiſſe me dicam.

JA1
1543644

Digitized by Google